

gnum; Reges Hæbræos facta quædam ab ipsa divina lege quasi excepisse: Nam cum lex esset, ne *quis Impuratus Pascha manducaret*: Ezechias tamen, fufis ad DEUM precibus, concessit ad huc immundis de sacro vesci. Item, lex erat, ut jugularentur pecudes per Sacerdotes; attamen bis sub Ezechia Levitæ, ob penuriam Sacerdotum, huic Sacerdotali officio admoti reperiuntur: Non quod Reges quemquam divinæ legis vinculo solverint (id enim homini nefas) sed quod κατ' ἐπιείκειαν, optimam divini humanique juris interpretem, declaraverint legem divinam tali rerum constitutione ex DEI ipsius mente non obligare: Talis enim declaratio, sicut in factis privatis, & moram non ferentibus, à privatis hominibus fieri solet, (quomodo David ejusque comites interpretati sunt legem, quæ solis Sacerdotibus concedit panes propositionis edere, in summa fame vim non habere obligandi) ita in factis publicis, aut etiam privatis moram ferentibus, à Summa Potestate, ut divini juris vindice atque custode, de piorum atque sapientum consilio facienda est. Quo & illud refero, quod Maccabaicis temporibus pro lege statutum est, pugnare in hostem Sabbato licere.

CAPUT III. DE SCRUTINIO CONSCI- ENTIÆ.

LXVI.

Scrutinium sive *Examen Conscientiæ* non tantum est utile, sed & necessarium. Ut enim *DEVS Lucernis scrutatur Hierosolymam* Isephaniæ 1. v. 12. ita nostri quoque officii est, forulos Conscientiæ excutere, scrutari acta inscripta cordi nostro, explorare omnes rimas sensuum, per quos peccatum nobis illabitur, quorsum nos ducit Jeremias Thren. 3. v. 40. nec malè *Bernhardus: multa scientia hominum, sed nulla melior est illâ, quâ cognoscit homo seipsum.* Paulus 1. Cor. x. v. 28. *Probet seipsum Homo.* & 2. Cor 13. v. 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in Fide. Ipsi vos probate. Annon cognoscetis vosmetipsos, quia Iesus Christus in vobis est? nisi fortè reprobis estis.* Secundo quid magis necessarium aut utile, quàm illud γινώθῃ σεαυτὸν, *Nosce te ipsum*, quod Cælo descendisse agnovit ipsa quo-